



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 38. Quatenus intellectus noster sepatatus queat cognoscere
substantias, ad tex. com. 132.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

DIGRESSIO XXXVIII.

Quatenus intellectus noster separatus
substantias cognosce-
re queat.

Ceterum quaestio ab Aristotele hoc loco prætermittenda prætermitti à nobis omnino non debet. Præsertim quòd nec ab interpretibus cæteris fuerit prætermittenda: Auerroës benelongum commentarium scripsit.

Plato. Plato quidem certè Philoponi testimonio intellectum nostrum posse aiebat cælestem esse ciuem, circa immaterialia operari, & corpus negligere. Hoc videlicet argumento, quò si animam à corporibus separatam cum corporibus in sepulchris versantur, cur non etiam eæ, quæ cum corporibus iunctæ sunt, circa immaterialia non operentur? Non negabo mortuorum animas ad nos redire interitum; apparere & colloqui: sed & sapè Angeli sunt, aut boni aut mali, vt idem ipse Philoponus de hac re copiosius disserens in totius operis præmio fatetur: aut etiam meræ timidorum aut dolore affectorum hominum imaginationes. Est autem anima à corpore soluta libera magis, quam dum corporis vinculis ita constricta est, vt non nihil cum corpore & per illius sensus operari possit.

Alexander. Inter Peripateticos verò celebris est Alexandri sententia, quam multis persequitur Auerroës locis paulò ante notatis. Is ita ferme ratiocinabatur. Vnum quodq; vbi ad perfectionem suam peruenit, perfectam quoq; suæ naturæ congruentem operationem consequitur: intellectus perfectio est intelligere intellectualia, omnia, tum materialia, tum immaterialia: cum igitur intellectus noster optimè fuerit omnibus scientijs excultus, tunc demum intellectus agens, qui cum eo nunc coniunctus est vt efficiens cum patiente, coniungetur item vt forma cum materia; tuncq; intellectus noster agentem, illum ita sibi copulatum & per eum cæteras quoq; immateriales separatæque substantias intelliget.

Arabes. Neq; verò magnopere diuersa loquuti sunt Arabes. Namq; Auicena & Algazel patibilem intellectum nostrum, dum intellectuales formas ab agente recipit intellectu, oportere dixerunt sese ad illum conuertere; cumq; perfecta fuerit hæc conuersio, tunc demum eos coniungi, patibilemq; per agentem separatam substantiam intelligere. Itaq; tum Alexandri tum horum opinione intellectus agens initio quidem causa efficiens est intellectus habitu in intellectu materiali, seu patibili; neq; tunc vt forma copulatur nobis, neque separata cognoscimus: vbi verò perfectus fuerit materialis seu patibilis, agens fit eius forma separatæq; intelliguntur.

Auerroës. A quibus Auerroës hoc solum dissentire, quod agentem intellectum à principio statim tum vt efficientem tum vt formam patibilis esse putet: nec tamen statim separata cognosci, quod vno illa formæ & materiae minus perfecta sit: ea vero post ad perfectionem perducta ad separatam quoq; nostram intellectiorem euehi. Sic enim ille ratiocinatur. Intellectus agens ad propositiones primas primaq; intellectualia est vt agens ad instrumentum & forma ad materiam. Cum ergo is intellectualium specierum perfectio sit, non recipiuntur species in intellectu

A paribili, quin simul agens item intellectus recipiatur, quoq; plura recipiuntur intellectualia, eo magis disponitur ad perfectiorem cum agente intellectu vnionem. Quare cum intellectalia omnia suscepit (nec enim intellectualium species sunt infinitæ) perfectissima erit vnio. Atq; hic est intellectus adeptus, qui cuncta tum materialia tum immaterialia intelligit; neq; phantasmatis eger vt antea. Est enim patibilis intellectus quamdiu per phantasmata actu intellecta vnitus est cum sensu, nihil ab agente intellectus abstractum intelligat; vbi tamen per intellectuales species vniuersales fuerit cum illo vnitus, abstractione illa non eger: quoniam obiectum ex se est intellectuale, cognitrixq; facultas satis disposita & applicata obiecto. Et nunc intellectus theoretici perfecti beneficio materialia omnia intelligimus, ita tunc vi agentis intellectus immaterialia quoq; Effectus enim est is forma nostra; & per illum tanquam per formam propriam operamur; omnia, quæcumque ille intelligit intelligentes. Ac rursum quoniam intellectus actu intelligens idem est cum intellectis rebus; si intellectus noster omnia tunc intelligat, Deo planè similis euadit, qui & omnis est & omnia intelligit.

Albertus quoq; in trat. 3. cap. 11. ab Auerroë hoc solum dissentire se confessus est; quod agentem intellectum non abstractam substantiam, sed animam partem non voluerit. Quare triplicem intellectus agentis coniunctionem posuit; vt virtutis anima, vt efficiens vt formæ. Quarum vna ordinatur ad aliam: prima semper est in homine; altera quando intelligit; tertia quando fuerit in scientijs perfectus.

Verùm in his, quæ subtiliter sanè fuerunt excogitata, quædam sunt communia peccata, quædam propria. Communia omnibus hæc. Primum, quod agentem intellectum diuersum profus à paribili patiente fecerit. Alterum, quod eum separatam substantiam esse, præter Albertum cæteri voluerunt; primam causam & Deum Alexander, cæteri secundam quamquam intelligentiam: de quibus satis in superioribus disputatum est, vbi de agente intellectu dicebatur. Tertium, quod agentem intellectum fieri patibilem formam dixerunt; cum non aliam, quam agentis & patientis vim in illis agnouerit Philosophus in tex. 17. & 18. Quartum illud est, siue Deum, siue intelligentiam aliam, intellectus nostri formam euadere. Quippe neq; integra & perfecta natura fieri alterius forma potest, minime vero prima omnium causa Deus: neq; in intellectu nostro ea potestas est, qua materia esse possit. Quintum illud, facilitatem nostram in hac vnione cum agente intellectu positam esse. Quam tamen Philosophus in actione virtutis agnouit, & in 18. in moralium lib. cap. 7. & 8. in actione posuit sapientiar, quam in libro 6. summam theoreticarum scientiarum esse voluerat: in cognitione inquam separataram scientiarum, quæ per theoreticas scientias haberi potest; & non in illa intellectu vnione.

Sextum illud; quod accipiunt id, de quo disputatur, intellectum non separatam cognoscere separatam. Non enim ostendunt hoc fieri posse: sed solum quemadmodum eueniat explicare conantur. Solus Auerroës in comment. 1. lib. 2. Metaph. probare aggressus est. Probatio autem fuit; quia si substantia illa cognoscenda nobis non possent, essent otiose. Ridicule verò probatio, inquit S. Thomas: quasi vero nostra cognitio finis illarum substantiarum esset; aut si à nobis non intelligantur, intellectus ali-

non ad sint, à quibus intelligantur. Nam & solis à vespertilionis oculo non videtur, ab Aquila & aliorum animalium oculis cernitur.

*Contra
Alexan-
dram.*

Alexandri verò proprium est; quod intellectum nostrum licet materiale & mortalem immaterialia fecit & immaterialia cognoscit. Quia sanè in re Alpharabii coherenter magis loquuntur fuisse notat Auerroës; qui cum intellectu mortale fecisset, eum negavit separata cognoscere. Etenim verum est illud Simplicij in com. tex. 35. cognitricem facultatem aut eiusdem cum re cognoscenda, aut superioris conditionis esse oportere. Possunt enim immateriales naturae tum immaterialia tum materialia cognoscere:

*Materia
le virtua-
le immate-
rialia
non cog-
noscere.*

At materialis facultas materialium duntaxat, non immaterialium, cognitrix fuerit. Et quanam alia sit causa, cur sensus & phantasia & omnino belluarum genus immateriale nihil percipiat, solius hominis hæc cognitio sit. Nisi quod in illis materialia omnia sunt, homo solus spiritali virtute intelligendi polleat. Materialia quidem certè ut intelligantur à nobis, separantur à materia suntque immaterialia: quod nimirum materia intellectui sit impedimento. At materialis virtus quomodo abstrahat à materia? Et si materialia non intelligit sibi similia, quomodo immaterialia intelliget? Si posset materialis intellectus immaterialia cognoscere, posset ipse immaterialis fieri. Intellectio namque assimilatione fit; & idem sunt intellectus actu & intellecta res. Denique scitum est perulgatum illud Philosophorum axioma certissimum; Immateriale omne esse intelligens, & rursum omne intelligens esse immateriale. Sicut igitur nullum potest esse immateriale, quod non intelligat; ita nec materiale quidquam intelligendi vi præditum sit. Omnique item consentiunt intelligendum ex materia consortio hebetari plurimum ac labefactari; atque intellectum nostrum, licet immaterialem & spiritalem, ex corporis sensuumque societate in intelligendo maximè impediri. Audi quid inter ceteros antiquos scripsit Platonicus. Intellectus, inquit, sensuum consortio plebeius factus ita moribus plebis alluevit, ut popularibus sensuum loquatur vocibus; nilque aliud esse arbitretur, quam quod videri, audiri, olferi, gustari, ac tangi queat. Igitur quemadmodum in epulo nidoris pleno, in quo permultum vini miscetur, estque tibarum, fistularum, saltationumque strepitus multus & magna odoramentorum vis; constantissimus ille sit, qui colligens se se ac contrahens; ab illis omnibus auocet sensuum seque sobrium ac temperatum præstat. Ita etiam variæ obstrepentibus sensibus magni negotij est inuenire mentem frugi, quæ ad eum se se ab his explicet ut sua ipsa possit spectacula inueniri. Cum enim sensuum natura multiformis existat, repleatur interdum, interdum fluat; ad varias sui que similes mutationes animum instruit. Ut sit quando se à sensibus in stabilem firmamque intellectum naturam conetur erigere, firmiter eam fluctuum ac perturbationum salo concussa dignoscere non possit. Quale quidem consuevit ijs accidere, qui ex nauigio descendunt in terram; quorum perditum agitatum, iactatum, & conflictatum tempeltatis corpus, firmis stare vestigijs vix queat.

*Maxi-
mus Ty-
rius
serm. 1.*

Itaque ad argumentationem illam, quasi niti Alexander videtur, respondit Auerroës propositionem, veram esse in eiusdem rationis operationibus, quæ solum differunt maiori minoriue perfectione. At materialium vel abstractorum intellectiones magis

differre, neque rationis eiusdem esse. Quod verò Auerroës ipse addidit, propositiones primas fieri ab intellectu agente, minus videtur verum. Quippe illius munus esse dicitur ab Actitotele & Peripateticis, ut intellectus potentia faciat actu; de illis autè iudicare alterius est intellectus. Ac rursum quod adiecit, intellectum adeptum phantasmata non indigere, viderint sapientiores, num consentiat cum celebri illa Philosophi propositione in tex. 30. de intellectu pronuntiata quoad in corpore commoratur, Nunquam sine phantasmate intelligi anima.

Quamquam quod ad Alexandrum attinet, sententiam hanc, quam illi Auerroës tribuit, opinor deceptus accepit ex cap. 18. lib. 2. de Anima, vbi hæc sunt illius verba. Et aliquid etiam per se intellectus natura tale existens. Hoc sanè ipsam intellectus potentia, vbi perfectus & actus est intelligit. Quæ admodum enim ambulandi potestas, quam homo, cum natus est, habet, in actu prodiit per progressum temporis ipso perfecto atque adulto, non abstractione aliqua intercedente: eodem modo intellectus perfectus tum que natura intellectus sunt intelligitur, tum etiam ea, quæ sensibilia sunt, intellectus, sibi reddit, tanquam existens actus. Quibus verbis fatetur quidem Alexander tunc de immateriali intellectu immaterialia intelligere, cum fuerit perfectus ac præbe excultus; nam & Philosophus in tex. 8. dixit, tunc demum eum posse se ipsum intelligere, cum fuerit singularis factus. At quod imponit illi Auerroës perfectionem illam interpretatus, cum agentem intellectum ut formam suscepit; ut nec intellectum adeptum, ego quidem certè apud Alexandrum non reperio. Itaque intellectum potestate ut materiam voluit Alexander ab agente ut efficiente aut arte perferri, tunc vero ut intellectus & immaterialia agentem, sic agentem illum intellectum intelligere, neque alio modo coniungi, quam obiecta cætera intellectu aut intelligente intellectu coniungantur. Perfectio autem ea per continuatas est actiones, quibus abstractioni ita alluevit, ut iam non sit illi opus ad singularia descendere eaque comparare, sed naturas ipsas per se concipere possit facilitate illas formas à materia absolendi absolutaque, intelligendi, quam longo sibi vlti comparauit, velut ut habitum medium inter intellectum potestate & intellectum actu, qui est agens.

Aucupate autem, etsi in eo sequitur Alexandrum sit, quod materiale & mortale intellectum nostrum fecit, & ideo vel hoc solo nomine audiendus non esset; secus tamen, quam ille de proposita questione ratiocinatus est. Neque accepit, sed probare tentauit, intellectum nostrum separatas illas substantias posse cognoscere. Potest namque rerum quiditates cognoscere, nec solum quiditatem à materia, sed vnam etiam quiditatem ab illa separare. Si igitur quiditatem abstrahit à materia, ut eam cognoscat, multo magis quæ solam habent sine materia quiditatem, cognoscat. Dum enim abstrahit, eò tandem progreditur, ut simplicem inueniat eiusmodi quiditatem, quæ separatarum substantiarum quiditas fuerit.

Hic argumento respondet Auerroës, quiditatem materiale immateriale non dici synonymic quiditatem, & ideo dum intellectus materialis abstrahit quiditates à materia eum non posse ex illis immaterialium quiditatum cognitionem venire. Præterea

Præsertim quod nec ex vnius rei materialis quidditate res alia materialis disparata cognoscitur. Adde abstractionem illam solius esse rationis atque ab intellectu profectam; nunc autem sermo est de abstractis re ipsa. Et ea quidem, quæ ratione sola separantur, obiectum intellectui abstracti proportionatum & ab ipomet quodammodo fabricatum existunt; non item ea, quæ re ipsa & sua natura separata sunt & abstracta. Neque proposita nobis disputatio fuit de cognitione, quæ abstractione ac ratiocinatione confert; sed de ea, quæ clara præsentis rei sit.

Ceterum ad Græcos Peripateticos redire præstat, eorumque argumenta perpendere. Et Philoponum quidem præter Platonum illud, quod in initio commemoravi, nihil aliud adferre video; nisi triplex Philosophum intellectus obiectum fecisse; primum immateriale, postremum materiale, mediumque Mathematicum: & prima quidem *apathrasu* esse sineque phantasia intelligi Mathematica phantasia, materialia phantasia sensuque vsu. Tum de primo huius partitionis membro probabili disputatione inducta illud solum addit; ex materialibus quidem ad immaterialia progrediendum esse: quippe aspectabilis hic mundus tam admirabili ordine tantæque rerum varietate constans ad diuina nos euehit; tuncque per phantasiam intellectum operari, at sicut illa deinceps contemplari substantias inuentas posse. Quæ omnia sunt sanè vera; sed claram, quam quaerimus, rei præsentis cognitionem non continent.

Melius videbitur ex sola intellectu virtute intellectiōnisque natura Themistius argumentari. Si enim, inquit, materiales naturas intelligit intellectus noster amolendo materiam, longè facilius intelligat necesse est ea, quæ per se abstracta cognitionem nostram non retardant. Verùm hæc argumentatio, si de intellectu per se atque à corpore libero accipitur, est sanè optima. Sin autem quando moratur in corpore, verè iam occurrit Auerroës, substantias quidem illas intellectiles esse; immò magis, quam ea, quæ materialia sunt: at propter intellectus nostri imbecillitatem non intelligi. Corpori namque immerfus sensibilibusque ac phantasia mancipatus at tollere se se non potest ad ea, quæ à materia & corpore sunt remotissima. Et sol quoque maximè aspectabilis est; ab imbecillo tamen vespertilionis oculo non aspicitur: & nos colorem melius, quam solem, cernimus; et si sol magis, quam color visibilis sit. Deinde cum æquè semper intellectiles sint illæ substantiæ, cur non statim à principio vitæ ab hominibus omnibus intelliguntur; sed in vltima tantum senescute, & à paucissimis, qui diu multumque fuerint in scientiis exercitati?

Ad extremum Simplicius duplicem proffus huius rei rationem significauit. Alteram quia intellectus ipse immaterialis est, impermissus corpori, neque dum operatur vllò vitur corporis instrumento. Quare in seipsum quoque redit & seipsum intelligit; eodemque modo cæteras item immateriales substantias intelligere potest. Alteram, quam Alexandri quoque fuisse ex eodem Simplicio cognoscimus, quoniam à materialibus & inseparabilibus ad immaterialia & separata, ascendit intellectus noster. Et quamuis propter sui declinationem ad corpus & exteriora atque ad secundas vitas, phantasiam & sensum, factam, non potest ad superiora illa & immaterialia se se statim erigere dum tamen à materialibus & corporeis incipit, illisque

tanquam superiorum imaginibus occurrit; velut ab imaginibus recedens ad exemplaria prima se accollit, atque in se ipsum regrediens seseque colligens intelligit immaterialia omnia.

Quarum rationum si momenta ponderes, priorem animaduertes persuadere quidè posse immateriale intellectui eius esse naturam, vt immaterialia cognoscendi vim habeat: At quædã materiali corpori sensibilibus, corporeis est alligatus impeditur illi operatio. Et ille ipse interpres non semel accipit cognitricem facultatem cognoscenda rei parem esse oportere; separatæq; illæ substantiæ longè intellectu nostro; præsertim nondum separato, superiore existunt. Posteriorem verò fortasse *ab ipso*, non *in se*, continere. Fuitque Platoni cum dogma; totum hunc corporeum & aspectabilem mundum ad Archetypi & idealis mundi similitudinem fuisse conditum: esseq; velut librum omni literarum genere obfignatum, in quo superiora & à sensibus nostris remota perlegantur, Synesius & veteres quamplures tradiderunt. Verùm hæc Peripateticus, qui mundum negat de nouo conditum, facile non admittat. Et vt verè dicantur, ad solius opificis Dei, in euius mente Archetypus & idealis intellectus mundus residet, non ad generalem separatam mentium cognitionem faciunt; neque claram Dei notitiam pariunt, sed quædam indicant attributa, quæ illi per comparisonem ad res creatas conueniunt. Omninoque obscura est & imperfecta cognitio.

Nimius sim & lectoris abutar patientia, si persequar singula, quæ à pluribus alijs excogitata fuere. Tota tamen hæc auctorum dissensio, in qua nihil adfertur, quod probabilitatem habeat, maximo potest esse argumento, id eos explicandum accipere, quod nulla ab ipis ratione doceri & explicari possit.

Ego rem totam tribus propositionibus definiendam censeo. Prima est, intellectum nostrum sua natura idoneum esse ad substantias illas cognoscendas, naturalique illius desiderio teneri. Altera, naturali huic aptitudini ac desiderio quandiu corporis huius vinculis detinetur, satisfieri planè non posse. Tertia, vbi fuerit is à corpore separatus tum demum cumulatè satisfactum iri. Ita serè definitum quoque fuisse reperies à S. Thoma in com. tex. i. lib. 2. Metaph. & in prima parte Theologicæ summæ quæst. 88. & lib. 3. contra gentes, atque à cæteris penè omnibus, qui deinceps Philosophati sunt.

Naturalis aptitudo ac desiderium quoquomodo cognoscendi, sed etiam clarè videndi, tum cæteras illas substantias, tum maximè primam omnium Deum, ex duplici cap. petuntur. Primum, quod intellectus nostri obiectum ens intellectile omne comprehendit, substantiæque ille intellectilia entia sunt; immò vt maximè & prima entia, sic maximè & prima intellectilia, præcipuâque obiecti pars. Atq; facultas omnis naturalem habet aptitudinem & propensionem ad totum suum obiectum; ex quo vim & naturam accipit; maximèq; ad præcipuam illius partem, cuius præsertim cognitione perficitur. Deinde quod in illa cognitione felicitas omnis nostra consistit, est q; is finis vltimus naturæ nostræ siue à natura, siue ab auctore potius naturæ nostræ, vnumquodq; autem tum in instinctu naturæ tendit in suum finem atq; illius desiderij stimulis incitatur, tum eius capax est. Sanè hoc desiderium in seipso animaduertit vnusquisque capacitateque argumentum est aliquis illa, quam interim, dum viuimus, cognitionem illarum consequimur.

Philopon.

Intellectus.

Themistius.

Simplicius.

standus liber.

Au. Horis sententia.

Intellectum aptum esse ad separatas substantias cognoscendas.

Non pos-
set in hac
vita cha-
re illas
cognos-
cere.

Quo tamen tempore nec desiderio nec capacitati huic prorsus satis fieri potest: quod dum crassi huius & materialis corporis forma est intellectus noster, ut essentia, sic operatio tantopere cum eo est colligata, ut quamvis in instrumento corporeo non vtratur intelligendo, nihil tamen nisi à corporis sensibus subministratum intelligat. Quam ob causam ex antiquis Philosophis multi entia immaterialia prorsus negarunt; alij paucissima de illis eaq. permultis erroribus inquinata cognoverunt. In Deo vero, prima & suprema substantia, multo maior difficultas, quoniam cum intellectio assimilatione fiat obiecti cum intellectu (vnde & illud in libro de causis propositione octava; intelligentiam intelligere omnia per modum suæ substantiæ) sicut res materiales elevari debent & fieri immateriales, ut intelligantur; sic diuinam naturam de primi ad intellectus nostri conditionem oportet; nec intelligetur, ynquam ut ipsa est in se. Deinde naturali quidem ratione concludimus finem hominis in hac vita non esse, neque creatum vllum bonum, neq. cognitionem humano labore comparatam. Tum quia hac hominis conditione inferiora sunt; neque in illis appetitus noster quiescit. Tum quia non hominibus omnibus, Immo paucissimis communia sunt; toti vsq. speciei finis esse omnibus communis debet. Tum etiam quia cum immortalis sit hominis anima, ad presentem hanc breuem vitam contrahendus non est illius finis. Et cum scientiæ non hominem totum, sed animam; immo theoreticæ omnium præstantissimæ intellectum solum perficiant; finem necesse est in alia vita querere diuiniusque multo bonum continere, quod hominis totius perfectio sit. At si in Deo est finis noster, cum ille sit primum ens, non ab alio productum; & ideo ens per essentiam, illimitatum & infinitum perfectione, ac proinde etiam agendi virtute (quippe virtus vel est ipsa essentia, vel essentiam comitatur), plurima profecto in eo sunt, quæ non solum finito, sed imbecillo & cæcitate lumine intueri non possumus. Taceo incomprehensibilem illam & ineffabilem personarum in vna essentia Trinitatem. Tum quia nulla sunt nature principia, quæ nos eo deducant: satisque laboramus, ut eam tueamur nature principia non reuertese. Tum quia si ad effecta nos conuertamus, Trinitatis illius opera omnia, quæ extra ipsam sunt, inseparabilia sunt atque à Deo procedunt quatenus Deus est, non quatenus persona: quare ex illis quoquo modo Deo naturam, personas nullo modo cognoscimus. Et qui veteres auctores aliqui exempla proposuerunt, fateri coacti sunt simile nullum exemplum prorsus adferri posse. Propterea de Deo, etiam vera dicere periculosum esse, sapiens quidam pronuntiauit: & alius silentium magis eligendum. Est enim is verius, quam cogitur; & cogitatur verius, quam dicitur; quod omnino digna de illo dici non possit. Et vniuersè damnarunt semper veteres eorum omnium audaciam, qui proprijs confisi viribus cognitionem illius quererent; quod nec mente concipi nec definitione comprehendi queat. Nostramq. omnem cognitionem ad caliginem quandã deduxerunt, in qua quid non sit potius cognoscamus, quam quid sit; veriorisque negationes sint, quam affirmationes; & omnino summa scientia sit ignorantem fateri atque in silentio maiestatem diuinam admirari. Scitum est, illud Simonidis; qui interrogatus quid sit Deus, diem ad deliberandum postulat; deinde biduum; tum duplo plures dies,

Hom
hominis
in hac
vita non
esse.

Dei co-
gnitio
difficilis.

Trinitas
perfor-
narium
in Deo
nature
duce nõ
cognosci.

Dei co-
gnitio
difficilis.

Cicero de
natura
Deorũ.

ac demum respondit, quanto diutius cogitaret, tanto rem sibi obseciorem videri. Nihilque, Arcopagita in lib. de diuinis nominibus cap. 1. cognoscendum esse aut dicendum de diuina natura voluit, præter ea, quæ sacra tradiderunt eloquia, in quibus ipse ipsi nobis manifestauit. Certe apertissima vixit Aristoteles similitudine, vbi vespertilionis oculis solis lumen non sustinenti similem intellectum nostrum fecit. Et Platonis est illud in Cratyllo, Perlouem nos quidem, si mentem haberemus, præter huiusmodi nos de dijs cognoscere, neque de ipsis inquam, neque de ipsorum nominibus, quibus ipsi se vocant. Et in Philebo Deum ait non propriari, sed ipsius fauore ac lumine sibi cognitum. Etiam, de rebus summi boni idea vix ac ne vix quidem videri potest. Et omnino tum ipse in Timæo, tum Lamblicus in lib. de Mysterijs cap. 1. & Porphyrius in libro de Occasionibus cap. quomodo intelligatur quod est superius intellectu, & Ammonius in lib. Categoriarum, cap. de substantia, alijque non pauci. Deum negatione à nobis cognosci tradiderunt. Quomodo inquit Porphyrius, somnus negatione vigilie cognoscitur. Sic enim Proclus in lib. de Anima & Damone, & Plotinus in lib. de bono vel vno cap. 3. & 4. ratiocinabantur. Omnis cognitio in vnitatem consistit, hoc est vt Peripatetici loquuntur in conformitate cognoscens cum re cognita, nihilque magis cognitionem impedit, quam vnitati contraria multitudo. Itaque vt Deum cognoscas, ab omni tumultu rerumque multitudine recedendum est, hoc est res aliæ omnes remouende à Deo sunt, vnâque & simplicissima separata tantum consideranda est. Quatuor autem maxime remouebis, omnem vim corporis, mutationem omnem, omnem priuationem & carentiam cumlibet actus & perfectionis, ac demum similitudinem omnem cum rebus creatis. Quibus omnibus remota abstractione vtaris atque à cæteris omnibus rebus simplicem & infinitam separe; hanc Deum nominamus. Carterum cognitionem hanc verrissime dicit Arcopagita in caliginem quandam & obseciorem seu mentis stuporem desinere, quo superententem & nostram omnem intelligentiam in operatam diuinitatem admiramur potius, quam quid ipsa sit comprehendamus: magisque cognoscimus quid non sit, quam quid sit. Manifestæ namque sunt & evidentes negationes, obseciæ prorsus ac incerte affirmationes. Itaque, viam, illã quã postremis veteribus libri de substantijs cognoscens ad superiora cognoscenda docuit Plotinus (omnia, inquit, profus de medio tolle) non solum ita interpretabimur, vt inclinationes ab appetitu, imagines à phantasia, excursiones à ratione, ac demum compositiones omnes ac diuisiones à nobis; sed etiam vt inferiora omnia & quæ in cæteris rebus cernuntur, à supremo illo ente Deo remouere oporteat. Cuius rei ratio est, tum generalis, & communis, tum specialis & propria. Generalis & separatis omnibus substantijs communis ea est, quam iam significauimus; quod intellectus noster propter compositum cum hoc corpore duo habet, alterum, vt ab illius sensibus in principio lux cognitionis inuenitur, primũ ab exteriori sensu, deinde ab interiori, vnde illud, phantasia semper aliquid inspicendum esse. Alterum, vt post phantasia inspectionem & propositum sibi à phantasia obiectum, non solum non adiunetur à sensu, quin in suo actu promouendo impediatur.

Inte
llectus
hominis
triplex
sunt

Prop
tia
sio
ngi
sicut

Lum
dend
Deo
est

impediatur potius, quoniam illius operatio immaterialis profus est atque ab omni sensu abstracta, sensusque materialis vi materialia sola comprehendit, sic ad materiae semper concretionem trahit, puramque intellectionem retardat & inquinat. Multis hunc locum persequutus est in Phaedone Plato, nihilque cum corpore ac sensibus pure & sincere cognosci posse ostendit.

Intellectus a sensibus alienatus

Quocirca eo perfectior erit immaterialium perfectum obiectorum cognitio, quo magis fuerit intellectus abstractus aut a sensibus alienus. Quod tribus modis euenit: aut quod penitus a corpore separatur: aut quod si sit in corpore, corpus tamen aliam habeat conditionem, nec impediat animam, sed illi in omnibus obsequatur quale erit gloriosum corpus post resurrectionem; quam aliquando futuram speramus. Aut denique quod si mortali hoc adhuc corpore contineatur, sensuum tamen operatio prohibeatur; quemadmodum in somno aut etiam vigilia, si oculos claudas aut aures ut contempleris melius. Quo vero magis obiectum est a sensibus natura remotum, eo maiori opus est ab illis alienatione, ut perfecte illud intelligas. Propterea maiorem immaterialia, spiritalia, & super naturalia, quam obiecta naturalia, postulant. Et S. Basilus in Plal. 28. & proemio commentariorum in Isaiam, prophetiam visionem scripsit in somnijs persimilem esse, semperque ad modum somnij, hoc est per alienationem a sensibus fuisse factam. Quod verba illa testantur, quae leguntur in lib. Numerorum c. 12. Siquis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; hoc est aut vigilantem aut dormientem, semper tamen cum alienatione a sensibus. Nam & visio omnem significat alienationem, & in somno manifestum est ligari sensus: atque in huiusmodi visionibus ferè leguntur verba, quae alienationem significant; sed non est huius loci commemorare.

Prophecia visio somnijs persimilis

Si visitata igitur intellectus contemplatio aliqua egeret a sensibus alienatione; maioremque supernaturalium rerum postulat reuelatio, quod haec naturalem intellectus virtutem superent; Clara diuinae essentiae visio, quae omnium abstractissima atque ab omni sensu remotissima est, aut sine omnimoda alienatione, aut sine singulari Dei miraculo esse non poterit. Immo vero nec omnimoda separatio intellectus a corpore, quae caeteris separatis substantijs intelligendis est satis, diuinae illius nobis essentiae intuitum adfert; nisi lumen accedat gloriae, quo ceu spiritali qualitate a Deo tributa & in intellectu nostro inherente naturalis luminis effectus & imperfectio suppleatur; conforteturque intellectus & eleuetur ad visionis actum circa, illud eliciendum; ac visionis demum quantitas determinetur. Quamdiu vero est in corpore, licet hoc perfunderetur lumine; quia tamen non nisi sensuum adminiculo intelligere potest, quemadmodum Dei essentia nullo sensu nec exteriori nec interiori attingitur (quippe rationem omnem sensibus obiecti excedit) ita nisi miraculo singulari alium acciperet intelligendi modum, qui a sensibus & phantasmate non penderet (qui est modus operandi animae a corpore separatae omnino diuinum illud obiectum non cerneret).

Lumen gloriae a Deo tribuitur

A Denique ex ea cognitione, quae abstractione nititur, petere argumentum licet. Communis quippe modus veniendi in cognitionem oculatarum causarum ex rebus est ab illis effectis. At effecta nulla res est nec esse potest diuinae perfectioni ac virtuti par: quod nec factum sit quidquam a Deo, nec fieri possit; quando vel infinitas eius perfectione contineat (esset enim Deus) vel tam sit perfectum, ut perfectius aliud fieri nequeat. Ex nulla igitur effecta re cognosci ea omnia possunt, quae sunt in Deo. Anima quidem certe nostra ad Dei similitudinem condita fuisse dicitur; atque ex illa ad conditoris cognitionem proeuctos fuisse Philosophos, auctor est Sextus Empiricus in libro adnerius Mathematicos capite de Dijs: & sunt qui ita interpretentur illud in Apollinis templo scriptum, *γινώσκου με, id est si vis me cognoscere, noscete ipsum.* Aut qualis tandem est similitudo? quam imperfecta: quae adumbrare quidem & quoquo modo prototypum indicare, at non ad viuum referre possit. Atque ut Deum intelligas finem esse nostrum, in eius tamen clara visione ac totius hominis fruitione vltimam sitam esse felicitatem nostram; non nisi ipso reuelante cognosces. Nam quae tandem naturalis ratio doceat, quomodo & quibus medijs hunc finem consequamur? Quomodo anima separata corpori rursus vniatur, ut homo beandus existat?

Ex rebus effectis diuinae essentiae non cognosci

Et anima nostra ut cognoscatur Deus

B Et rursum quali corpori, mortaliue an immortalis? Si enim mortali, quomodo perpetua erit felicitas? Si immortalis, quomodo humanum corpus ex contrarij communique materia concretum immortalis? Ac demum vbi tandem erit homo: Si infra Coelum, quomodo erit felix, vbi tot contraria tantaque illorum pugna? Si supra Coelum, quomodo illuc penetrabit, aut ibi omnino erit? Hoc enim naturalis ratio non docet.

Claram Dei visionem esse que naturali ratione non cognoscitur

C Sed tempus est disputationem hanc concludendi. Ergo haec sit summa: Intellectum nostrum, quamdiu ut nunc habet, posse quidem omnia entia, siue materialia, siue immaterialia, cognoscere: at non omni modo; & immaterialia abstractione solum cognosci & quoad attributa quaedam, quae aut ex effectis aut per comparisonem ad res caeteras colliguntur. Quam ob causam in 9. Metaph. lib. ignoracionem hanc nostram dixit Philosophus cecitate non esse, sed sicut vespertilionis visionem, ut in 2. libro loquutus fuerat, quia si clare & perfecte quiditate & essentiam intuemur, quoquo tamen modo imperfecte cognoscimus. Cum autem fuerit a corpore separatus, caeteras quidem intelligentias, viribus suis intuebitur, at diuinam essentiam non nisi superiori adiutus lumine gloriae. Nimirum enim obiectum illud natiuam intellectus virtutem superat. Ut ne Plotinus quidem in extremo libro de cognoscentibus substantijs dicere dubitauerit, lumen illius accipiendum esse, quo ipsum perspiciamus. Neque enim solem per alienum lumen intuemur: despicimusque quicumque per disciplinas & theoreticas scientias posse nos credidit ad claram diuinorum intelligentiam peruenire.

Summaria conclusio

TEXTVS.

Ναὺ δὲ ἀπὸ ψυχῆς τὰ λεγόμενα συγκαταλαβόμενα, ἕκαστον ἰδίᾳ ἢ ἰσχυρῶς τὰ ὄντα πῶς εἶναι πάντα, ἢ ἰσχυρῶς τὰ ὄντα, ἢ ἰσχυρῶς. ἔτι δὲ ἢ ὁρισμένην ἰδίᾳ τὰ ὄντα πῶς, ἢ δὲ ἀόριστος τὰ εἶδη ἢ τὰ.

Tex. 37. Jam vero qua de anima dicta sunt, in unum caput colligentes, dicamus rursus, quod anima entia quodammodo est omnia. Aut enim sensilia, aut intellectilia. Est autem scientia quidem scibilia quodammodo, sensus autem sensilia.

COMMENTARIVS CXXXIII.

PRIMA huius orationis verba superiorum conclusionem quandem & quasi breuem summam significant. Consequencia vero illa (dicamus rursus) eorum, quae dicta sunt, repetitionem pollicentur. Verum Simplicius dum non repeti ea videt, quae de vegetatione, sensu, phantasia practicoque intellectu fuere tradita; verbum illud (συγκαταλαβόμενα) putat referendum non esse ad illud (dicamus neque cum eo coniungendum; quasi superiorum summam dicturus sit; sed superiora ita respicere, vt illorum finem & conclusionem significet; tantundemque valere, ac absoluentes finemque illis imponentes. Cui duo statim licet obijcere. Primum vocem illam (καταλαβόμενα) caput vbi que significare; mirumque videri, it caput finem interpretemur. Deinde illud (dicamus rursus) omnino repetitionem significare. Repetit autem ex superioribus, animam esse quodammodo omnia: quibus intellectum actiudem esse cum re intellecta; Et sensum item actu idem cum re sensu percepta, dictum antea fuerat. Nec ab re dixit Philoponus communem hanc esse conclusionem eorum omnium, quae de cognoscentibus omnibus facultatibus tradita sunt. Quaecumque enim cognoscuntur, aut sensu cognosci possunt, aut intellectu, neque in nobis, in quibus omnes continentur, alia est facultas cognitrix; quia nec cognoscendum aliud obiectum est: si sensus nomine non exteriori modo, sed interiori quoque & phantasia comprehendas. Quippe sensilia Philosophum intellectilibus opposuit; vt quae sensu quoque & omnino quaecumque intellectilia solum non sunt & non sensilia, complecteretur.

Non absolute tamen omnia entia est anima: quoniam ipsa specialem quandam & peculiarem habet naturam a ceteris omnibus entibus, tum sensilibus, tum intellectilibus, diuersam. Propriū illud est solius Dei & primae causae, quae cum ab alio non habeat entitatem suam, non est ad vllam entis partem determinata, sed illimitata profus & infinita; & ideo ens per essentiam, non per participationem; verēque omne ens, dum omnem vim entis habet. Anima vt habet causam sui esse, sic & determinationem; neque est omne ens, sed hoc duntaxat & non aliud. Propterea non absolute, sed quodam modo esse omnia entia dixit; quoniam id cognitione solum quoquo modo assequitur, dum omnia cognoscendo omnia in seipsam transfert: neque hoc animae vt anima est conuenit, sed animae solum cognoscenti, & vt cognoscentis est. Deinde etiam quoniam non ita vt sunt in seipsis, ea in se transfert, totamque.

Vi anima sic omnia entia.

A illorum entitatem suscipit: sed solum formam ab illa materia. Propterea quodammodo hoc est non secundum totum, sed secundum partem. Neque enim vt mox dicetur, lapis est in anima, sed lapidis forma. Tu vero quoniam illam ipsam non talem, qualis erat in materia, suscipit, sed cognoscendo ita immutat, vt non solum apparet a materia, sed immaterialem quoque sentis quoquo modo, intellectus penitus, efficiat. Propterea quodammodo; hoc est immaterialia modo. Rursus quodam modo, hoc est ad ipsius animae capacitatem & conditionem accommodatē, tum in intellectu, tum in intellectu: Et materialia quidem eleuat intellectus & meliora facit, immaterialia vero de penitus abstracta deprimit atque ad suum caput contrahit. Hae est cognitionis vis, haec animae potestas, qua diuinam quoquo modo conditionem, humanam praefertim, emulatur anima, hic ornatus & perfectio, quam sibi cognoscendo acquirit. Ad eandem quodam modo, hoc est ad actu aut potestatem, vt et consequenti Philosophi oratione intelligitur.

At quorū hae nunc a Philosopho dicuntur. S. Thomas Auerroem puto sequens eum creditur postquam de sensu & intellectu dixit, & ipsi docere voluisse, quid sit de animae natura sentendum. Verum quid erat opus? De natura enim & substantia animae in principio dixit 2. libri neque haec, quae hoc traduntur loco; ad naturam, sed ad cognitionem pertinent. Ego summam ex dictis opinor colligi aliqua, quae ad cognitionis naturam pertinent, cognitionis quoque tum sensus tum intellectus communia sunt. Quod ipsum nimirum ad intellectus & sensus comparationem antea institutam pertinet. Vtque enim commune est suscipere formas sine materia, locumque formarum esse, siue sensibilem, siue intellectibilem, & ideo in animam cognita obiecta tradere, illamque omnia quodammodo facere. Videbatur namque instituta illa comparatio interrupta, fuisse, dum de abstractorum, tum Mathematicorum, tum penitus separatorum, dixit: in aliudque tempus dimissa disputatione, an intellectus non dum separatus separata cognoscat, nunc inquit comparationem institutam prosequentes dicamus &c. Hoc significat illa omnia verba, cum συγκαταλαβόμενα, & dicamus rursus.

Nec vereor dicere quae rationem de separatorum intellectione propterea in aliud tempus reuocari, quod demonstrandum antea esset separatas eadem modi substantias esse, nunc tacite & sub obiecto applicari, dum anima statim subiungitur esse quodammodo omnia, quia cognoscat omnia. Si enim est omnia & cognoscat omnia, quaecumque sunt & cognosci queunt, substantias quoque illas, si velle quis, cognoscat. Nec sine causa sensibilibus & intellectibus distinctionem subiunxit: sed vt ea quoque comprehendere, quae intellectilia solum sunt, non sensilia. Cuius generis illa nimirum substantiae sunt.

TEXTVS.

Πᾶς δὲ ὄντος, δὲ ἑαυτοῦ. πᾶντα αὐτὸ ἢ ἑαυτοῦ ἢ ἄλλου εἶναι τὰ ἀσθενήματα. ἢ ἰσχυρῶς δυνάμει, ἢ ἰσχυρῶς ἢ ἰσχυρῶς, εἰς τὰ ὄντα πῶς εἶναι πάντα, ἢ ἰσχυρῶς τὰ ὄντα, ἢ ἰσχυρῶς. ἔτι δὲ ἢ ὁρισμένην ἰδίᾳ τὰ ὄντα πῶς, ἢ δὲ ἀόριστος τὰ εἶδη ἢ τὰ.

Quemadmodum autem hoc oportet querere, dicitur igitur scientia & sensus in res. Quae quidem potestate, in res potestate, qua vero actum, in res actum. Anima autem sensuum & scientiarum potestate haec sunt, alterum quidem scibile, alterum autem sensibile.

COMMENT

Dante Alighieri

ex quibus loci huius interpretatio petenda erit. Hoc est non lapidem, sed lapidis formam suscipere. Sed quod ibi de sensu speciatim dixit, hic vniuersè de anima pronuntiauit; vt intellectum quoque cõprehenderet: ille siquidem sensiles, hic intellectiles formas absque materia suscipit. Animamque non omnem, sed eam, quæ cognoscens sit, intelligas.

Contra species intentionales intellectiles.

Formas verò non eas dici, quas à sensione aut intellectione diuersas Latinorum plerique ponunt; sed sensionem ipsam intellectionemue vt cognitæ rei similitudo est; duo extant hoc loco argumenta. Alterum; quòd nunc id agit Philosophus, vt sensum scientiamue actû ostendat esse idem cum re sensibili actu. Fatentur autem aduersarij non esse idem cum ea forma, quam illi sensionem aut intellectionem antecedere volunt; quia nondum est sensibile aut intellectibile actû, sed solum sensionis aut intellectionis accedente actû: hæc igitur, non illa, forma est, quam Philosophus loquitur. Quare cum scientia sensio ue idem sit cum forma; forma verò sit ipsa res; scientia sensioque actû est ipsa res, quæ actû scitur aut sentitur. Alterum; quòd ex eo, quòd anima non lapidem, sed lapidis formam suscipiat, statim colligit manus animam esse persimilem. Quæ similitudo non solum in eo est, vt quemadmodum manus omnia nobis præparat, estque instrumentum instrumentorum, dum omnia nobis manu paramus: sic anima sit formarum omnium locus, omnesque suscipiat, & per eam homo fiat omnia. Non enim accurata est similitudo, quæ non in eodem genere sit; & analogia potius, quàm similitudo: vt quod est manus in genere instrumenti, quod pertinet ad efficientem causam; hoc anima sit in genere suscipientis & materia; dum omnia manus procurat & efficit, animaque formas omnes suscipit.

1. Anima vniuersalis.

Verùm etiam in eo (sic enim optima fuerit & sapienter explicata similitudo) vt quemadmodum manus est instrumentum, quo fiunt omnia, sic anima formas omnes, tum sensiles, tum intellectiles, efficiat. Et quoniam animam posuit pro sensu & intellectu, vt vna vtrumque voce complecteretur, sensus animæ instrumentum est in sensilibus, & intellectus in intellectilibus formis efficiendis: sicut manus instrumentum est ad efficienda cetera: manus externum & externorum, sensus & intellectus interna & internorum operum, illa totius hominis, hi animæ præsertim, instrumenta existunt. Arbitror etiam in ipsamet voce similitudinem plurimam contineri. Manus quippe functio propria est apprehensio, quia vnum quidpiam accipimus, relicta alijs, quæ fortè aderant: & sensus atque intellectus operatio est propositi obiecti comprehensio, quæ formam accipit relicta materia, cum qua ea forma coniuncta est in natura. Itaque verè anima est vt manus, siue manum consideres vt manus est, siue vt instrumentum.

Intellectus & sensus similitudo & distinctio.

Atque intellectus quidem & sensus in hoc conueniunt & persimiles sunt, quòd vterque forma est & velut formarum fabricator & architectus. Verùm hoc interest, quòd intellectus est forma formarum, omnium scilicet, tum sensilium, tum intellectilium, tum materialium, tum immaterialium, tum rerum singularum, tum vniuersarum naturarum: sensus autem forma sensilium duntaxat, quia sola sensilia,

materialia, & singula comprehendit. At sensio actus est forma, & quidem formarum forma, profectò mera potestas non fuerit aut apparatus ad suscipiendas formas, quemadmodum in superioribus huius Alexandro diximus placuisse. Omnis quippe forma significat actum. Constat autem de partente intellectu sermonem esse: quoniam is est, qui formas suscipit, quique cum sensu comparatur eique insuscipiendis formis propositione respondet.

Paucis rem totam concludam. Tum intellectus, tum sensus, formæ sunt; non solum materiae & corporis, cuius sunt actus; sed etiam aliarum formarum. Formæ autem, tum productrices, tum suscipientes. Nam & cognitiones pronuntiantur cognitatum formas, & eas suscipiunt; quòd illarum operatio in ipsis maneat, non in aliud transeat. Hæc est vera & germana huius loci explicatio. Nam quod Simplicius dixit, voluisse Philosophi exemplo manus ostendere facultatem rationalis animæ cognitricem inter primas formas primaque cognoscibilia intellectilia & extremas formas ac extrema cognoscibilia sensilia mediam esse; dum & ad illa ascendit contemplatione sua, & ad hæc iuxta extremam sui cognitionem descendit; sicut manus est media inter hominem, qui ea vititur; & ea, ad que vititur. Parum omnino videtur ad rem, quam Philosophus agebat; neque illius verbis consentit.

Magis ad rem dubitauit Plutarchus, quomodo nunc sensus formarum sensilium forma dicatur, cum antea in tex. 6. non omnem animam, sed intelligentem solum formarum locum dixerit appellandam esse. Respondit autem ipse intelligentem animam dixisse illum, tum intelligentem, tum sentientem. At Philosophi verba interpretationem hanc non sustinent: tum quia ibi de intellectu loquebatur, vt à cæteris omnibus animæ partibus distinguitur: tum quia cum dixit non omnem animam, sed intellectiuam solum, manifestum est cæteras tum omnes exclusisse, intelligentem solum retinuisse. Altera responsio fuit Simplicij, propterea id fuisse dictum, quòd solus intellectus substantiam cognoscit substantialesque suscipiat formas; sensus circa accidentia sola versetur: vt autem accidentia non sunt absolute entia, ita nec eorum formæ absolute formæ dici possunt: solus igitur intellectus absolute est formarum locus, dum substantiales & absolute formas suscipit. Vtiorero ego responsionem in illius loci commentario significauit. Solus namque intellectus absolute formarum locus est, quia totas formas omnes comprehendit & suscipit; sensus non absolute, sed certi generis, hoc est sensilium, formarum locus est; dum has solas suscipit.

Cæterum non sine causa fortasse Philosophus actionem mutauit; & cum antea vocasset locum, postea appellauit formam. Nempe vt duplicem illam vim significaret, quarum altera, siue intellectus, siue sensus, suscipiunt; altera promunt ac in seipsis tangunt formas. Ne cum appellasset locum, eas existimares aliunde aduenientes in illis tantum suscipis, sed ita intelligeres suscipi, vt inde etiam nascantur atque ab ipsismet promantur.

TEXTVS.

Επι δε ουδ' αρα ομοιοτητα εν αλλη τοις μεγεθουσ, ως δεκα, με αιδηρα, κτλ...

Quoniam autem neque res ulla est prater magnitudines (vt videtur) sensibiles separata, in formis sensibilibus intellectibilia sunt...

COMMENTARIVS CXXXVI.

Vid hic agatur, non consentiunt interpretes. Et quidem Philoponus probabiliter disputari putat...

At neuter scopum attingit videtur. Quoniam enim illam de separatarum substantiarum intelligentiam dimisit Philosophus...

Ex horum tamen grauissimorum interpretum applicatione obiter adnotabis inanem illorum conatum esse...

Simplicius autem & aliter verba legit (quoniam autem nulla res, est prater magnitudines separata, vt videntur sensibilia...

A Verum nonne hoc in superioribus explicatum fuit? Quomodo ergo antea negabat Simplicius superiora hic repeti...

Denique ne singulos persequens nimis longum commentarium faciam; S. Thomas haec ad superiora, illa refert, quibus intellectus dicebatur esse quodam modo intellectibilis...

Ergo planiorem nos & veram magis interpretationem faciamus, praesentemque sermonem eum proximè superiori iugamus...

Quibus verbis tum ordinem formarum significatum formationis modum. Ordo est, vt sensibiles antecedant formam...

XXXV ij

Vertical text in the left margin, partially cut off.

& in superioribus dixit: alterum ratione quidem separatum, re ipsa verò cum materia coniunctum; qualia sunt entia Mathematica: alterum re & ratione, mentè que à singulari solum, non ab vniuersa, materia remotum illud in abstractione dicitur atque intellectibile Mathematicum est; hoc sensibile habitus & affectiones, & quaecumque naturalia sunt comprehendit; & habitus quidem qualitates primæ & quartæ speciei, affectiones autem patibiles qualitates tertij generis interpretatus est Simplicius.

Auerroës autem cum corruptè legeret textum, nihil mirum si alienam à Philosophi mente expositionem attulit. Mirandum autem, quòd interposuerit falsa. Ait enim in sensibus quidem esse intellectibile & sensibile, in intellectu tamen habere esse per mutabile & inconstans, in sensibus autem fixum & constans. Cum contra potius res habeat. In sensibus namque materia est mutationis & inconstante principium & causa, in intellectu autem intellectibilia, verà materia sunt abstracta, sic à mutatione liberata constantiam & firmitatem acquirunt, meliori que modo, quam in sensibus, habent.

Illud etiam hoc loco spectauit Philosophus, vt cum animam velut manum, & intellectum ac sensum formas formarum productrices esse posuisset, materiam quoque indicaret, vnde acciperentur, & ex qua producerentur hæc formæ. Materia sunt sensibilia omnia. Ex his & anima vt manus accipit, & intellectus ac sensus suas quasque producit formas. Ac rursum ipsamet sensibiles formæ intellectibilium materia sunt, quia intellectus ex sensibus intellectibiles facit. Externa enim obiecta sensui proponuntur, quæque sensibus fuerit hausta, intellectui demum, qui supremam operi manum imponat, obijciuntur.

TEXTVS.

Και ὁμοίως οὐτὶ μὴ ἀσθενήσας μὲν οὐδὲν εἶναι, οὐδὲ ζῶναι ὅταν κενῆ. ἀλλ' ἔτι ἀναφαντασμάτων διαφέρει. τὰ δὲ φαντασμάτα ἀσθενήσασα εἶναι, πάλιν αὐτὸ ὕμν.

Et propterea neque non sentiens quidquam vti que addiscat neque intelligat. Et cum contemplatur, necesse est cum phantasmate contemplari. Phantasmata namque vclm sensibilia sunt, etsi absque materia.

COMMENTARIVS CXXXVII.

Quoniam intellectibilia in sensibus contineri dixit Philosophus, duo iam ex eo consequentia deducit. Alterum est, eum, qui aut aliquo aut omni prorsus (quidquid Simplicius dicat) careat sensu, nihil addiscere posse, neque omnino intelligere. Alterum, si contemplari libuerit, necesse esse cum phantasmate contemplari. Primum tamen Themistius non vt consequens, sed vt argumentum accepit eius, quod dicebatur, intellectibilia in sensibus contineri. Cur autem ego vt consequens potius interpreter, facit illud orationis principium (καὶ ὁμοίως, & propterea) quod non argumentum inducit, sed deducit consequens: quod tamen eius-

modi est, vt ex effectu argumentum esse possit. Quoniam enim vnaquaque res, vt est, ita intelligitur, si intellectibilia sunt in sensibus, intellectibilia nequeunt comprehendere, quin sensu hæc percipiuntur. Quare si cuiuspiam sensibilibus caremus, que ad illud pertinent, intelligere non valemus. Vnde illud in tex. 6. lib. 2. Phisic. Siquis ab ortu primo conabit, sed quid color sit, omnino non intelligit. Quòd si Themistius in superioribus enarrans tex. 155. lib. 2. cæcum dixit imaginari colores posse, quos neque actū, neque potestate sentit, sique imaginari potest, potest & intelligere, quòd ad intelligendum satis est phantasia illiusque phantasma: non de cæco illo id pronuntiauit, qui cæcus sit natus, sed de illo, qui aliquando colores viderit, postquam videndi sensum amiserit. Quippe phantasia motus est à sensu actu factus, neque vbi sensus ab exteriori obiecto non mouetur, moueri phantasia potest. Si tamen aliquando simul cum eo fuerit mota, rerum quoque absentium post non operante sensu formæ valeat phantasmata. Quod de cæco dictum est, de cæteris idem intelligatur sensibus; vt qui non sentiat quidquam, sed omnibus plane orbatus sit sensibus; nihil addiscat neque intelligat. Vt enim ob vnius sensus absentiam sensibilibus intelligentiam impedit omnium.

Rationem superioribus verbis significauit; quoniam intellectibilia sunt in sensibus. Altera in priori libro de priori Analyti, tex. 33. Manifesta magis ratio exponitur. Si quis, inquit, defuerit sensus, necesse est & scientiam deesse aliquam: addiscimus enim aut inductione aut demonstratione: inductione quippe cognoscuntur principia, demonstratione conclusiones. At conclusiones ex vniuersalibus principijs demonstrantur; principia verò, rerum singularum, quæ sensibus obijciuntur, inductione colliguntur. Igitur si desit sensus, desit quoque scientia omnique intellectus cognitio. Sed quod vna voce ibi significauit, in duas hic explicatè magis partitus est. Ibi solum dixit (addiscimus) hæc autem (neque addiscat neque intelligat): addiscat ab alio, intelligat ex seipso, propriæque industria & intentione assequatur. Hæc enim, inquit Philoponus, due sunt cognitionis viæ, disciplina & inuentio. Neque S. Thomæ interpretationem probo; cui addiscere scientiam de nouo acquirere, & intelligere aquina scientiam vti significauit. Tum quia addiscere disciplinam propriè scientiamque ab alio acceptam significat. Tum quia cum tria Philosophus nominet, addiscere, intelligere, contemplari; duo priora ad scientiæ acquisitionem, tertium ad acquirentem vti pertinere non dubito. Acquisitio autem vel alio docente, vel nobis ipsis inquirentibus & inuentientibus est: tum doctrinam aut inuentionem propriam contemplatio sequitur. In vtrausque acquisitione prima opus est sensu; in acquirentis vti non sensus iam amplius, sed phantasia requiritur. Ideò non sentiens, inquit, neque addiscit neque intelligit. Cum autem contemplatur ea, quæ didicit, vel ipse inuenit; necesse est cum phantasmate contemplari. Etsi enim non adsit sensus tunc operans, potest tamen phantasia sensu cessante operari; atque si non in sensibus ipsis, in phantasmate certe contemplanda obiecta proponere.

Arque

Dante

Atque hoc iam alterum est quod ex superioribus dicitur consequens deducere Philosophum affirmabam. Phantasmata namque velut sensilia sunt, & rãquam illorum imagines & simulacra sensilibus ipsis remotis & cœlantibus sensibus in phantasia sunt. Hoc solum discrimen est; quod sensilia cum materia complicata sunt, phantasmata sine materia. Sensus quippe circa materialia operatur, phantasia circa formas tantum, quas ex materialibus sensilibus relicta materia sensus accipit ac phantasiæ tradidit.

Satius autem est ita interpretari, quàm illa verba (etsi absque materia) ad intellectum, siue cum sensu, siue cum phantasia operantem referre: quod aliquos fecisse testatur Philoponus. Etenim percipere formam sine materia non esse intellectus proprium, sed sensui quoque commune, antea dicebatur. Phantasmata verò non ipsa quidem sensilia, sed velut sensilia sunt: quia hoc solum ab illis differunt, quod formæ absq. materia sunt, sensiles tamen formæ, non intellectus; nisi potestate. Porro intellectum sine phantasmate non contemplari, res ipsa testatur; vel etiam dum immaterialia contemplatur. Ingerit namque sese atque intrudit phantasia: sed materialium contemplationem iuvat, immaterialium impedit ac turbat, dum ad inferiora trahit atque ad modum materialium immaterialia quoque proponit. Verum de hoc pluribus antea dictum est.

TEXTVS.

Ἐστὶ δὲ ἡ φαντασία ἕτερον φάσις ἢ ἡ ἀποφάνσις συμπενοκῆ καὶ ἡ ἐπιφανία τῶν ἀφῶν, ἢ ἡ ἀπόφασις.

Est autem phantasia aliud à dictione & negatione. Nexus enim notionum est verum aut falsum.

COMMENTARIVS CXXXVIII.

Differentiam inter phantasia & intellectum ponit: & verè quæ antea dicta sunt, hac quoque in parte summatim colligit. Nam quæ copiose satis disputauerat, paucissimis attingit verbis: & quod pluribus antea probauerat argumentis, vnico hic conficit. At quorsum adum agit? Nimrum intellectum dixerat sine phantasia non operari; sed eum, qui intelligit, intueri debere phantasmata: noluit autem quemquam existimare intellectum & phantasia non distingui; hoc fortasse argumento, quod cum facultates ex obiectis distinguantur, si intellectus versatur circa phantasmata, quæ phantasiæ quoque obiectum exiunt, eadem videbitur esse facultas, intellectus & phantasia. Præsertim quod phantasiæ phantasmata sine materia esse dicebantur; quod intellectus proprium esse videtur. Immo postrema sola illa verba fuisse causam, cur hæc nunc distinctio subiungeretur, Simplicius credit.

Distinctiois autem argumentum illud accepit Philosophus, quod in operatione phantasiæ nec verum sit nec falsum, quia nec affirmatio nec negatio; etsi plurium interdum rerum coniungat phantasmata, vt montis & auri, hirci & cerui, aureum montem hirci ceruumque formando: at intellectus componendo affirmat vel negat, verumque dicit aut fal-

sum. Simplex tamen veritas, quam *ὁμοειδὲς* & substantialem vocat Philoponus, in phantasia quoque reperitur, dum conforme rei format phantasma: nam & in sensu quoque inest, ait Simplicius, dum ita vt est rem apprehendit. Dum tamen & sensus & phantasia affirmationis ac negationis veritate aut falitate carent, manifestum est diuersam ab illis facultatem intellectum esse. Itaque hæc ipsa distinctio ex actionibus & obiectis est.

Alterum discrimen addit Themistius. Quippe phantasiæ phantasmata eadem semper sunt earumdem rerum; at intellectus notiones alio atque alio modo ab eo componuntur: vt si dies est, lux est: vel dies est, & lux est: vel dies est, lux non est: vel esto dies, & esto lux. Hoc ego discrimen apud Philosophum non reperi: nisi notionum nexum vniuersè pronuntiatum propterea varietatem continere dicamus, quod duobus modis fiat. Aut enim simplices notiones in secunda intellectus functione componuntur affirmatione sola vel negatione, aut affirmationes quoque vel negatione ita in functione tertia connectuntur, vt vnus ex alio deductio adfit. Sanè vtumque discrimen agnoscimus. Sed Philosophus de affirmatione sola vel negatione loquitur: ex quibus si à minori ad maius argumenteris, idem verissime de deductione conficies. Sed Philosopho compendij ac breuitatis vbique & maximè hoc loco studioso satis fuit id, quod erat minus, indicare.

Porro totius discriminis causa est, quod phantasia materialis & corporea facultas cum sit, rebus singulis arcata est & quasi ligata, nec plura potest in vnum cogere; aut si cogat, ad modum vnus cogit & tanquam vnum apprehendit: intellectus immaterialis & incorporeus liberior est.

Quod autem ad verba spectat, adnotauit Simplicius debuisse potius dici notionum nexum esse affirmationem aut negationem; positum tamen fuisse verum aut falsum, consequens pro antecedente; nexum namque ipsum sequitur verum aut falsum. Quod ego breuitatis & compendij studio factum fuisse puto; vt & alijs in locis non raro. Auerroës autem non legens verum aut falsum, sed (fides aut non fides) alienam prorsus expositionem fecit, in qua operæ pretium non est immorari.

Quæ ad notabis non simplicem notionem, vt interdum alibi, sed affirmationem, vt omnes exponunt, significare. Quare (φάσις) dixit pro (κατὰ φάσις) dictionem pro affirmatione nominans; vt & antea in tex. 26. legè que illius loci commentarium,

TEXTVS.

Ἐὰν δὲ κατὰ τὴν φαντασίαν, ἢ τὴν διότι τῶν μὴ φαντασμάτων ἔστι, ἢ οὐδὲ τὴν διὰ τὴν φαντασίαν, ἢ τὴν ἐν αὐτῇ φαντασμάτων.

Prime autem notiones quid interest quominus phantasmata sint? An neque alia phantasmata, sed non sine phantasmatis.

XXXX

Phantasia ab intellectu distinetur.

COMMENTARIUS CXXXIX.

EXponi hic locus non potest, nisi primum constituantur quænam primæ notionēs appellentur. Earum enim alia atque alia acceptio aliam atque aliam reliquorum verborum sententiam peperit. Primas propositiones interpretatus Averroës est. At primæ propositiones antecedentibus verbis à phantasia satis erant distinctæ; vbi affirmationem omnem & negationem separavit ab ea. Nec satis accommodata S. Thomæ interpretatio altera, notionēs primas vniuersalia à singularibus conditionibus separata significare: quæ phantasmata non sunt, at non sine phantasmatis; quoniam phantasmata similitudines singularium sunt. Etenim si vniuersalia à singularibus abstrahuntur, sanè primæ notionēs non sunt, sed secundæ: quippe vniuersalia diximus non ante multa, sed post multa. Neque tertia illa Simplicij, tum substantiarum comparatione accidentium & materialium formarum comparatione materialium entium, notionēs intelligentis, quod hæc prima entia sint. Non minus namque accidentium & materialium entium notionēs atque intellectiōnes à phantasia & phantasmatis distinguendæ fuissent Philosopho.

Notiones primas.

Dialecticus

Optimè verò Themistiuss ac Philoponus simplices intellectus conceptiones notionēs primas dici voluerunt. Itaque cum phantasiā ab intellectu distinguendam suscepisset, superioribus quidem verbis ab affirmatione & negatione, hoc est à cōposita intellectiōne distinxit: at simplex primæ intellectus functionis intellectiō supererat distinguenda, quæ phantasiæ similior videbatur; neque ex eo differentiam habet, quod veritatem cōtineat aut falsitatem: quoniam eam non habet nisi simplicem, in conformitate cum intellectu re positam; qualem habet phantasia quoque. Hoc igitur est, quod querendo proponit: si phantasia ab affirmatione differt & negatione, quod non ita in illa quemadmodum in his, veritas aut falsitas sit; primæ simplicis quæ notionēs, quæ affirmationem & negationem antecedunt, & ex quibus affirmatio & negatio componuntur, nunquid phantasmata sunt? Aut quid à phantasmatis differunt? Cui propositioni hoc solum responderi non magis eas esse phantasmata, quam sint alia intellectus actiones, de quibus dictum est; hoc est affirmatio & negatio. Vt enim hæc quamuis sine phantasmatis non sint, phantasmata tamen non sunt; ita & de primis notionibus iudicare oportet. Quoniam facultatis eiusdem actiones sunt: quæ semper quidem cum phantasmate operatur, operatio tamen illius phantasia non est, neque illius notio phantasma.

Quod verò Simplicius addit, non hoc solum docere voluisse Philosophum, sed etiam non omnem intellectiōnem phantasiā habere cooperantem: parum omnino constat cum eo, quod & antea traditum est, sine phantasmate nihil intelligi; & nunc vniuersè reperitur, intellectus quidem notionēs phantasmata non esse, non tamen sine phantasmatis. Quapropter si quæ sint *απαρτιστα*, vt substantia, relatio, proportio, & omnino immaterialia omnia; hæc ipsa tamen aut ex phantasmate quopiam colliguntur & in phantasmate considerantur, aut ad modum phantasmatis deprimuntur. Quandiu enim intellectus corporis huius est forma sensibilibusque alligatus, non potest sine phantasiæ vsu intelligere: atque

Phantasia cum suauat, et impedit intellectiōnem.

Ad materialia quidem & sensibilia intelligenda iungitur, ad immaterialia verò & intellectibilia impeditur potius, obscuratur, & retrahitur: rationeque phantasmatis remotis & operatur ad puram & sinceram notionem erigat sese. Quam sententiam à Philosopho explicatam reperies in libro de memoria & remin. cap. 1. His enim verbis est apud ipsum. Quoniam autem de phantasia prius in his, quæ sunt de anima, dictum est, & quod intelligere non est sine phantasmate (accedit eadem passio in intelligendo, quæ quidem & in describendo). Ibi enim nulla veritates quantitate trianguli determinata, finitum tamen & secundum quantitatem describitur. Et intelligere non similiter etiam non intelligit quantum, intelligit autem non quatenus quantum. Si autem natura sit quantum, in definitum autem; ponit quidem quantum determinatum, intelligit autem quatenus quantum solum. Quibus verbis exposuit pulchre, quomodo nunc dictum fuerit, sine phantasmate quidem nos non intelligere, intellectus tamen notionem phantasma non esse: corrigente scilicet phantasiā intellectu, atque à proposito phantasmate ad puriorem intellectiōnem erigente sese. Atque hinc distinctio illa existit duplicis intellectus obiecti, mouentis & terminantis. Quod enim mouere intellectum debet, materiale sit phantasmateque comprehensum oportet: at quod terminare potest, est omne ens; siue materiale, siue immateriale. Verum de hac tota re in digressionem ad t. 30. satis superque diximus.

DE FACULTATE MOTRICE.

CAP. X.

TEXTVS.

Ἐπι δὲ τῆς ψυχῆς δύο εἰσὶν ἀνάγκη, ἡ μία ἵνα κινήσῃ τὸ σῶμα, ἡ δὲ ἄλλη ἵνα ἐπιπέσῃ ἐπὶ τὰ ἄσπαστα. Ἡ πρώτη ἐστὶν ἡ κίνησις, ἡ δὲ ἄλλη ἐστὶν ἡ ἐπιπέσις. Ἡ πρώτη ἐστὶν ἡ κίνησις, ἡ δὲ ἄλλη ἐστὶν ἡ ἐπιπέσις. Ἡ πρώτη ἐστὶν ἡ κίνησις, ἡ δὲ ἄλλη ἐστὶν ἡ ἐπιπέσις.

Quoniam verò anima, quæ animalium, dantes distincta est facultatibus, tum iudicatorio, quod rationis est & sensus, tum etiam mouendo qui per locomotum de sensu quidem & intellectu tot definita sunt. De mouente autem, quidnam sit anima, coniderandum: verum quæ quæpiam ipsius pars separabilis existens, aut magnitudine, aut ratione, an anima tota. Esi pars quæpiam, verum propria aliqua præter eas, quas nominat eorum uerunt & dicitur sunt, an una earum aliqua.

COMMENTARIUS CXL.

Quemadmodum hæc cum superioribus conueniantur ipsemet Philosophus exponit. Propterea namque diutius maxime accipit facultatibus animam definiti, cognoscente & mouente; uel sensus, phantasiæ, & intellectus, quæ cognoscentes facultates sunt, tractationi mouentis virtutis considerationem subiigeret. Neque difficile est ordinis huius rationem videre. Vt enim ab initio à cōmuniōnis inchoas, rerūque, naturā sequutus, de vegetate primū virtute